

sunt enim in ea plures horribiles speluncae, in quibus antiqui oracula Demogorgonis quaerebant.

Alii dicunt, insulam illam esse Cretam dictam propter terrae illius albedinem, quia creta, qua scribitur ad parietes, est in ea copiosa et optima. Alii dicunt, quod licet Creta sit pars Graeciae, tamen antiqui Graeci noblebant, quod illi de ista insula in nomine cum eis participant, sed dicerentur Cretes, et non Graeci, quia Cretenses erant malitiosi.

Dicitur etiam Candia, a terrae candore, quia gleba est candida. Et dicta fuit Centopolis, quia centum egregias habuit olim civitates. Antiqui dicebant hanc insulam esse in mundi medio constitutam, et tripartiti orbis tenere medium, Asiae scilicet, Africæ et Europæ, et idecirco opinari potest, eam Oceaniam esse dictam, quia sicut oceanus mundum ambit et includit, sic Oceania ambitur et includitur mundi partibus; ideo ponebant, eam esse paradisum et voluptatis locum, sub ea ponebant infernum esse, quapropter in ejus altissimo monte Idone posuerunt statuam vel idolum cuiusdam senis, cuius caput aureum, pectus et brachia argentea, corpus et renes ex aere, tibiae et crura ex ferro, pedes autem ex cocta terra. Ad hanc statuam dicebant spectare omnem corpoream molem mundi. Ex rimulis hujus idoli sudabant semper lachrimæ, quae collectæ per cavernas defluebant (**B**) et collectæ stagnum faciebant, ex quo consequenter fluvius generatus in terrae viscera per hiatum incidebant, quem in profundum inferni cadere credebant ad locum damnatorum, eumque Achorontem fluvium nominabant, quia forte idolum, a quo fluebant aquæ, dicebatur Acharon. De hoc flumine infernali mira dicunt poetae in multis locis, et Eusebius de Praep. Evang. de eo facit mentionem L. II. C. ult.

Sic ergo antiqui credebant infernum esse in terrae centro, et supra paradisum, et Cretam sive Oceaniam esse beatitudinis locum, sub eo vero infernum, et ideo ad hanc insulam tamquam ad medium omnia essent migratura. Pro quo est notandum, quod de medio mundi possumus loqui tripliciter. Uno modo de illo punctuali medio, ad quod spectant omnes partes aut lineæ protractæ a limbo oceani contra eum. Alio modo accipiendum medium solum terræ habitabilis, mensurando a locis habitabilibus usque ad medium. Tertio modo accipiendo, medium per respectum ad tres mundi principales partes. De primo orbis medio, ubi

